



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXXVIII. De Jure Patronatûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

etiam exemptum, examinare, approbare, visitare corrigere &c. (sed solum quoad curam animarum, administrationem Sacramentorum, & alia Parochialia) omnino possit. Trid. loc. cit. & s. c. 7. de ref.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Jus Patronatus, quæ habeat commoda & onera.
2. Quotuplex sit.
3. Quinam sint ejus capaces.
4. Quibus modis acquiratur originaliter:
5. Et quibus per translationem.
6. Præsentatio ad Beneficium Patronatum est necessaria.
7. Quando sit invalida, & quando illicita.
8. An plures præsentari possint.
9. Quo tempore præsentatio fieri debeat.
10. Qua ratione amittatur Jus Patronatus.
11. Quid sint Primæ Preces, & unde habeant vim.
12. Ad quæ Beneficia se extendant.

Jus Patronatus, das Pfarr-Lehen / est potestas nominandi seu præsentandi Clericum instituendum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Unde Patronus secundum Sacros Canones dicitur, cui competit dictum jus præsentandi: quæ præsentatio est favor præcipuus Patroni

com-

competens, licet habeat duo alia adhuc privilegia, nempe jus præcedentiæ in Ecclesia patronata, & jus ab ea petendi alimenta, si ipsi aliunde non suppetant. *c. 25. h. t.* modò probet illam à se vel à Majoribus suis fundatam, vel constructam, vel dotatam esse, salvâ tamen sustentatione Parochi ac Ministrorum ejusdem Ecclesiæ. Sed & onera incumbunt Patrono, nimirum cura, ne officia Divina negligantur, dos vel bona Ecclesiæ dilapidentur, item obligatio defendendi Ecclesiam contra potentiores, ne opprimatur, vel damnum incurrat. Unde Patronus subinde vocatur *Advocatus* Ecclesiæ, licet in Germania *Advocatus*, *der Schutz-Herr* / soleat esse distinctus, nempe Imperator respectu omnium Ecclesiarum in Imperio Romano, & Principes quoad Ecclesias in suis territoriis. Interim tamen nec Patrono nec Advocato competit ulla jurisdictio in Clericos, nec administratio bonorum Ecclesiæ, saltem per se & independenter à speciali concessione, multò minùs potestas applicandi sibi aliquos fructus ab Ecclesia, vel accipiendi pensionem annuam ab illa. *c. 4. 23. h. t. Trid. s. 24. c. 3. s. 25. c. 9. de ref.* Cæterùm jus patronatûs, quatenus respicit præsentationem, de qua hic maximè agitur, est jus spirituali annexum. *c. 16. h. t.* nimirum institutioni præsentati faciendæ à Prælato in beneficio Ecclesiastico, quæ institutio est actus jurisdictionis spiritualis, ad quem ordinatur præsentatio.

Divisio juris patronatûs est 1. in *Ecclesiasticum*, quod vel alicui competit ratione Ecclesiæ, dignitatis, beneficii, loci Pii, v. g. Episcopo,

Decano, Religiosis &c. vel quod ex bonis Ecclesiasticis ad fundandam, construendam, vel dotandam Ecclesiam applicatis comparatum est: & *Laicum* seu *Sæculare*, quod alicui vel competit titulo sæculari, v. g. donatione, vel quod ex bonis patrimonialibus (etiam à Clerico) in fundandam &c. Ecclesiam applicatis comparatum est, siue dein acquirens sit Laicus vel Clericus. Si proveniat partim ex titulo Laico partim ex Ecclesiastico, erit *Mixtum*. In effectu singulariter observandum est inter utrumque, quod Papa non soleat, imò nunquam censeatur, nisi clarè exprimat, derogare juri patronatûs Laico, bene tamen Ecclesiastico. per *c. 28. h. t.* 2. In *Personale*, seu *Principale*, quod adhæret personæ, v. g. fundatoris, & hæredum, independentèr ab aliqua re, ac inseparabiliter adhæret personæ: & in *Reale* seu *Accessorium*, quod velut accessorium quid adhæret rei temporali, v. g. castro, prædio, universitati bonorum vel jurium, & transit ad quemcunque, etiam non-hæredem, modò, rem, cui annexum est, acquirat. Per se censeatur esse personale, nisi ex fundatione, consuetudine, præscriptione, vel legitima auctoritate attributum sit certorum bonorum possessoribus.

- 3 Dico 1. Juris patronatûs capaces sunt omnes Christiani. 2. Etiam Laici. 3. Ac fœminæ. Pars 1. habetur *can. 26. 27. 30. caus. 16. q. 7.* ubi excluduntur non-Christiani seu infideles. Hæretici tamen in nostris partibus, quamvis in foro Ecclesiastico non tolerantur, vi consuetudinis per conventum Pontificis possunt præsentare, ac ab ipsis præsentati institui solent. Pars 2. *c. 1. 7. 10.*

25. *h. t.* ut nimirum Laici hac ratione alliciantur ad pias foundationes. Pars 3. *c. 7. cit. & c. fin de concess. prab.* Pupillus septenniô minor, non per se ipsum, sed per tutorem validè præsentat; major tamen septenniô etiam per se ipsum; quia tutoria potestas se non extendit ad jura spiritualia. *Objic.* Laici sunt inhabiles ad jus eligendi Prælatum Ecclesiasticum, & ad alia jura spiritualia, vel spirituali annexa: sed jus patronatûs non minùs est jus spirituali annexum, ac jus eligendi: ergo. *R.* Ad jus patronatûs in Jure generaliter habilitati sunt Laici, non ad jus eligendi aut ad alia jura spiritualia, vel spirituali annexa.

Dico 2. Jus patronatûs originaliter acquiri potest tribus modis. 1. Ex speciali concessione Pontificis. 2. Ex fundatione, vel constructione, vel dotatione Ecclesiæ, in qua erigitur Beneficium. Unde ille versus: *patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* 3. Ex immemoriali præscriptione. Pars 1. claret per se; quia Pontifex supremam habet potestatem in Ecclesiis & jura spiritualia omnia. Pars 2. liquet ex *c. 3. h. t.* ubi fundatoribus. ex *c. 25. ubi constructoribus Ecclesiæ. & Trid. s. 14. c. 12. de ref.* ubi dotantibus tribuitur jus patronatûs. Denique ex *s. 25. c. 9. cit.* ubi asseritur, jus patronatûs oriri ex fundatione, vel dotatione. Quæ tamen omnia fieri debent cum auctoritate Episcopi, & cum effectu, ut Ecclesia ex non esse perveniat ad esse. Ex quibus inferitur, disjunctivè & separatim sufficere vel fundationem, vel constructionem, vel dotationem Ecclesiæ: proin, si plures concurrant, ita ut unus fundet, alter ædificet, & tertius dotet, omnes fieri patronos in solidum.

M 4

Quare,

Quare, si omnes & singuli præsentent, & quidem
 diversos, instituendus est ille, qui plura tulit vota;
 si nullus cum altero conspiravit, & præsentati æ-
 quales sunt in votis, ille, qui habet jus instituendi,
 potest (ex præsentatis tamen) instituere, quem
 voluerit, deberet tamen assumere digniorem. *c. 3.*
h. t. Rectè autem facerent tales patroni, si in præ-
 sentando mutarent vices, v. g. si primâ vacaturâ
 beneficii præsentaret fundator, alterâ constructor,
 tertiâ dotator. *Clem. 2. eod.* Porro *fundare* dicitur
 Ecclesiam, qui fundum sive solum dat; *con-*
struere, qui sumptus suppeditat ad ædificandam,
 vel, si penitus destructa fuerit, ad restaurandam;
dotare, qui Ecclesiæ constructæ vel construendæ
 assignat redditus annuos, ad celebranda Divina &
 Ministrorum congruam sustentationem sufficien-
 tes. Pro *dotante* pariter habetur, qui priori dote
 penitus amissa Ecclesiam dotat de novo, non au-
 tem ille, qui prima dote adhuc existente novas ad-
 jicit divitias, etsi majores; sicut ille non habetur
 pro *construente*, qui Ecclesiam ruinosam (non
 omnino collapsam) solum reparat, licet successi-
 vè totam. Interim tamen opus est, ut moneatur
 prius constructor, vel dotatur primus, an non ipse
 reædificare, vel de novo dotare velit. De reliquo
 ad consecutionem juris patronatûs ex fundatione,
 constructione, vel dotatione, non requiritur ex-
 pressa reservatio juris patronatûs, modò fundans
 &c. illud non expressè remittat, vel tacitè per
 actum contrarium, ut habet communis contra Ze-
 sium, quia ipsum Jus jam illud indulget in remun-
 rationem. per *c. 41. de testib.* Aliud est de fun-
 dantibus, construendis, dotantibus Ecclesiam

Collegiatam seu Conventualem; ut enim talis Ecclesiæ Prælatum, qui de Jure deberet eligi, præsentare possint, id sibi specialiter reservare debent cum consensu Pontificis, vel fors etiam Episcopi, quo modo quidam Principes obtinuerunt jus etiam Episcopos præsentandi vel nominandi. Pars 3. sumitur ex *c. 26. de V. S. & Trid. c. 9. cit.* ubi insuper habetur, quòd probatio temporis immemorialis alia non sufficiat, nisi præter reliqua requisita authenticis scripturis probentur præsentationes continuatæ saltem per 50. annos, quæ omnes effectum sortitæ sint.

Dico 3. Jus patronatûs, jam semel acquisitum, in alios transfertur his modis. 1. Successione hæreditaria. 2. Donatione. 3. Permutatione. 4. Venditione, sed suò modò. 5. Præscriptione. 6. Possessione vel usufructu, vel dominio bonorum, quibus jus patronatûs reale est annexum, legitime acquisitò. Pars 1. liquet ex *c. 1. 3. h. t. & Clem. cit.* Pars 2. ex *c. 8. & 14. eod.* Pars 3. ex *can. 40. caus. 16. q. 7.* ut autem caveatur Simonia, permutari debet cum alia re spirituali, & cum consensu Episcopi: jus tamen patronatûs reale commutari potest cum re temporali, modo pro dicto jure non petatur vel accipiatur aliquid temporale. Dein notandum, quòd jus patronatûs personale *permutatione* transferri nequeat in Laicum, vel Clericum privatum, sine consensu Episcopi: sicut sine dicto consensu nec *donatione. c. un. h. t. in 6.* ubi corrigitur *c. 17. x. eod.* in quo idem consensus requirebatur etiam in casu, quo donatio fieret in communitatem Ecclesiasticam vel Religiosam. Pars 4. ex *c. 7. eod.* Siquidem tali casu, quo ven-

ditur jus patronatûs reale, non censetur propriè vendi ipsum hoc jus, sed *transire* cum prædio, vel bonorum universitate; modò non taxetur, & in contractum non veniat conjunctivè, ita ut propter illud augeatur pretium: si enim hoc contingeret, committeretur Simonia, pretium amitteretur, & Ecclesia ipso Jure evaderet libera extincto patronatu. Trid. *f. 25. c. 9. de ref.* Pars 5. ex Legibus præscriptionum, quæ diversa exigunt tempora pro diversitate eorum, contra quos currit præscriptio, majus, si contra Ecclesiam, minus, si contra privatos tendat. Nec Laici incapaces sunt præscribendi, quia ad possidendum jus patronatûs sunt generaliter habilitati. Pars 6. suadetur inde, quia patronatus & præsentatio pertinere censetur ad fructus rei: fructus autem debentur bonæ fidei possessori, ac usumfructum vel dominium utile obtinenti, ac in specie patronatus. *c. 7. cit.* Unde, quia conductor rei (saltem ad longum tempus, non minus decenniò) habetur pro possessore. *l. 1. §. 5. ff. de superficiib.* & quia usufructuario, item emphytevtæ, ac vasallo, fructus vel dominium utile, cui annexum est, competunt, ad hos transferri contingit jus patronatûs: non verò ad creditorem per hypothecationem; quia per hanc nec dominium, nec possessio, nec usus pignoris acquiritur.

- 6 Dico 4. Præsentatio, quæ est usus juris patronatûs, ad beneficium patronatum debet ita attendi ab instituyente, ut, si inscio, vel contradicente Patrono conferat alicui beneficium, vel alteri, quàm qui est præsentatus, collatio sit nulla. *can. 32. caus. 16. q. 7. c. 14. 18. 29. h. t.* Quare, dum

in *c. 8. eod.* talis præsentatio dicitur *irritanda*, hoc verbum, ut consonet aliis Juribus, debet explicari, ut sensus sit, *declaranda ut irrita*. Si tamen Patronus collationis, se præterito factæ, conscius intra tempus, ad præsentandum sibi concessum, non reclamaret, censeretur consentire, & nullitas sanari. Interim Episcopus, cujus fuisset instituere præsentatum idoneum, compellendus est ad providendum illi de competenti beneficio, *c. 29. h. t.* quia jam consecutus fuerat jus ad rem.

Dico 5. Præsentatio indigni est invalida. 2. 7
 minùs digni autem, est illicita, saltem ad Beneficium Curatum. Pars prior desumitur ex *c. 15. h. t.* Posterior ex Trid. *f. 24. c. 1. & 18. de ref.* & confirmatur ex Jure Naturali, quod exigit, ut meliori quo fieri potest, consulatur animarum saluti, & avertatur periculum, quod ipsis imminere facile potest, si ad Beneficia Curata promoveatur minùs dignus, saltem si notabiliter sit minùs dignus. Unde, licet consuetudo, qua passim præsentantur simpliciter digni & idonei, derogare potuerit Tridentino, Juri tamen naturali derogare nequit. Quapropter patroni graviter vel leviter peccant præsentando minùs dignum ad Beneficium Curatum, prout grave vel leve animabus & Ecclesiis indè periculum imminere apparuerit. Quòd autem præsentatio minùs digni, & tantùm simpliciter idonei, non sit invalida, patet ex Trid. *f. 7. c. 3. & 13.* item ex eo, quia nullibi reperitur irritata. Per *digniore* intelligo illum, qui pensatis omnibus judicatur fore utilior Ecclesiæ, & animarum saluti procurandæ. Per *dignum* verò, qui

qui habet qualitates ad Beneficium requisitas, de quibus egimus *l. I. tit. 14. de etate & qualit. & c.*

8 Dico 6, Quilibet Patronus, etiam Ecclesiasticus, potest presentare simul plures. 2. Plures autem successive solus Patronus Laicus, seu hic potest variare, ita tamen, ut prius presentatum non amplius revocet. 3. Si autem plures sint presentati, tenetur Episcopus instituere digniorem et presentatis. 4. Si verò sint æqualis dignitatis, potest instituere, quem voluerit. 5. Nullus autem patronus presentare se ipsum permittitur. Pars 1. probatur negativè; quia nullibi prohibetur simultanea plurium presentatio. Pars 2. ex *c. 24. & 29. h. t.* ubi variatio permittitur Patrono Laico, negatur Ecclesiastico. Notandum tamen, quòd primus, à Laico presentatus, non debeat jam esse institutus. *c. 24. cit.* Porro neque Laico variare licet, si habeat compatronum Ecclesiasticum sibi concordem; quia patronus Ecclesiasticus, utpote absolutè prohibitus, nec in societate patroni Laici variare potest, consequenter ille, in quem uterque conspiravit, semper habebit vota majora, nimirum duo, alius autem vel alii, quem vel quos postea superadderet Patronus Laicus, singuli non haberent nisi unicum votum. Pars 3. ex *c. 3. h. t.* Trid. *d. c. 18.* Si tamen Episcopus eligeret minus dignum, valeret institutio. per *c. 29. cit.* scilicet ad amputandas lites. Pars 4. ex *c. 3. c. 24. h. t.* sed hic advertite discrimen inter casum, quo idem patronus plures vel simul successive presentat, & inter casum, quo diversi patroni presentant plures æquè idoneos: in priori tenetur Episcopus aliquem ex presentatis eligere, quem voluerit: in posteriori

pro-

probabiliter non tenetur, si intra tempus præsentationi præfixum non conspirent in unum plura & majora vota. per d. c. 3. Jo. Andr. & Pirhing contra Panorm. ubi enim vota sunt paria, & æqualis dignitas, nullus ex præsentatis videtur jus acquirere, etiam dignitatis tantum. Pars 5. ex c. 26. b. t. & c. fm. de Instit.

Dico 7. Tempus à Jure præfixum respectu Patroni Laici sunt 4. menses, & respectu Ecclesiastici sunt 6. menses, computandi ab hora, qua cognoverunt vacationem Beneficii, non obstante, quod Patroni ob controversiam super jure præsentandi, intra dictum tempus non finitam, habuerint impedimentum. c. 3. 22. 27. h. t. c. un. eod. in 6. 1. 5. de concess. Prab. Qua ratione quasi compensatur Patrono Ecclesiastico in tempore, quod ipsi negatur in variatione, soli Patrono Laico concessa. Si proin intra dictum tempus non præsentent Patroni, vel, si plures sint, non conspirent, Beneficium pro illa vice fit liberæ collationis ab Episcopo, vel alio, cujus fuisset instituere præsentatum, faciendæ. c. 3. cit. nisi probaverint impedimentum, v.g. absentia, ignorantia &c. vel nisi præsentatio jam facta caruisset effectu independenter à Patrono, ut si præsentatus non acceptasset, aut renuntiasset præsentationi, aut hæc ex occulto defectu fuisset nulla &c. tunc enim Patrono inciperet novum tempus, & quidem totum. arg. c. 26. de Elect. in 6. Si tamen Patronus Ecclesiasticus scienter præsentasset indignum, seu laborantem defectu nullitatem inducente, ajunt passim, illum pro ea vice privari jure præsentandi, non item Patronum Laicum. Examen super idoneitate præ-

præsentati semper pertinet ad Episcopum, licet fortè institutio pertineat ad alium. Trid. *s. 25. c. 9. de ref.* De reliquo, si Laicus habeat comptonum Ecclesiasticum, etiam ipsi indulgentur 6 menses; quia æquum est, ut in causa individua privilegiatus, si altero sit dignior, trahat secum non privilegium. *arg. l. 10. ff. quemad. servit. amitt.*

10 Dico 8. Jus patronatus amittitur vel sine vel cum delicto. *Sine delicto.* 1. Totali destructione Ecclesiæ, item interitu dotis respectu dotantis, 2. Extinctione familiæ, si est familiare seu gentilitium, certæ familiæ reservatum. 3. Voluntaria cessione expressâ, imò & tacitâ, ut si Patronus patiatur Ecclesiam Patronatam converti in Collegiatam absque sui juris reservatione. 4. Unione accessoria Beneficii aut Ecclesiæ patronatæ ad Beneficium vel Ecclesiam liberam, vel ad Monasterium. 5. Non-usu per viam præscriptionis, modò interea intervenerint saltem duæ collationes beneficii liberæ. 6. Suppressione, vel revocatione juris patronatus à Pontifice facta, quam tamen facere non solet, nec unquam censetur vel in patronatu Laico, ortum habente ex fundatione &c. nisi id clarè exprimat. *Cum delicto* autem 1. si Patronus fiat apostata à tota Fide Christiana. 2. Si committat crimen læsæ Majestatis vel aliud enorme, quod inducit confiscationem bonorum: & tunc, si jus patronatus est reale, amittitur ipso facto: si personale, per sententiam privatoriam. 3. Si patronus occidat vel mutilet Rectorem, aut alium Clericum suæ Ecclesiæ patronatæ. *c. 12. de pæn.* 4. Si se ingerat in perceptione fructuum beneficii, eos sibi applicando,

tando, vel, ne ad Beneficiatum perveniant, impediendo. Trid. *f. 25. c. 9. cit. §.* Si vendere, vel alio illicito modo contra Canonicas sanctiones in alium transferre præsumat jus patronatûs. Trid. *la. cit.* Circa hunc amittendi modum notanda sunt adhuc duo, 1. quòd solus delinquens amittat non ejus successores, ab ipso fundatore specialiter vocati, neque compatroni innocentes. 2. Quòd nec delinquens amittat absque sententia declaratoria criminis, licet Jus dicat amitti ipso facto; quia pœnæ privativæ non incurruntur absque omni sententia.

Juri patronatûs admodum vicinæ sunt *Prima* ¹¹ *Preces* Imperatoris. Unde quæres, quid sint *Prima* (vel *Primaria*) *Preces*, quousque se extendant? *R.* ad 1. Sunt *jus nominandi personam de Jure Communi, & vi Foundationis, habilem ad Beneficia vacantia vel vacatura in Ecclesiis Romano-Germanici Imperii, ab Ordinario, vel alio, ad quem pertinet aliàs collatio, admittendam intra mensem, Imperatori vel Regi Romanorum recens electo concessum ex privilegio Pontificis.* Vocantur *Prima*, quia sunt prima Imperatoris petitio, & unica, non iteranda in una eadêmque Ecclesia: item *Primaria*, quia hæc petitio præferenda est cuique alteri nominationi, præsentationi, collationi &c. modò nominatus intra mensem à notitia vacationis beneficii suam nominationem insinuet collatori. Ultimis verbis, *concessum ex privilegio Pontificis*, acriter se opponunt Hæretici, Primas Preces inter Regalia Imperatoria referentes, & Imperatori per se ex jure Majestatis competere asserentes. Sed fortiter

titer

titer & constanter reclamant Catholici, utique in hac materia longe præferendi, qui originem Primarum Precum, licet sint antiquissima, tribuunt indulto, gratiæ, & concessioni Sedi Apostolicæ, ut evidenter patet tum ex diplomatis variorum Pontificum Nicol. V. Innoc. VIII. Clem. VII. Pii IV. Gregor. XIII. Pauli V. Urbani VIII. & Innoc. X. non antè hoc jus imperatorum indulgentium, quam ille Sedi Apostolicæ se dederit tanquam Advocatum per *Legatum Obedientia*, & de novo hoc jus petierit, tum ex usu ipso Imperatorum, etiam moderni gloriosissimi regnantis Caroli VI. qui omnes petierunt de novo, ferè unicò Josephò I. exceptò, cujus etiam Primas Preces propterea cassavit Pontifex, nec antè confirmavit, quàm is moriens etiam in hoc precipuè se submiserit Apostolicæ Sedi, Vide Originem *de Primis Precibus*.

- 12 R. ad 2. Extendunt se generaliter ad omnia Beneficia cum-vel sine Cura, Dignitates, Personatus, Canonicatus &c. (quamvis in Praxi ferè ad hoc tantùm nominare Imperatores videamus) non obstante, quòd Pontifici sint reservata Beneficia, vel alternativè subiecta, nec obstante jure patronatus *Ecclesiastici* penes alium residente, neque *turno*, ut vocant, neque devolutione ad inferiorem Pontifice, neque resignatione libera in manus Ordinarii, ut patet ex *Indulto Primarum Precum*, & ibi Chockier, à Paulo V. concessarum Ferdinando II. Primis tamen Precibus non subjacent Dignitates Pontificales, Pontificalibus proximæ in Cathedralibus, & Principales seu Primæ in Collegiatis Ecclesiis, Beneficia Regularia,
Liti-

Litigiosa, Manualia & improprie dicta, perpetuo incorporata Dignitati, Collegio &c. item quae sunt juris patronatus Laici, vel ad Sedem Apostolicam devoluta, aut vacant ex causa permutacionis, vel in favorem tertii sunt resignata, insuper Monocularia, seu quando Collator hoc unum duntaxat Beneficium habet conferendum; imò collatores, nisi conferre possint saltem 4. Beneficia in Imperio Romano, non tenentur admittere Preces Imperiales, ut notant DD.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus & Procuratoribus.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Quid sit Census, Exactio, & Procuratio.*
4. *Quis imponere possit Ecclesiis aut Beneficiis Censum.*
5. *Quinam teneantur ad solvendum Cathedralicum seu Synodaticum: & quinam ad Subsidium Charitativum seu Donum gratuitum.*
6. *Quinam ad Procuraciones,*

Census in genere nihil est aliud, quàm pensio, quae in certa quantitate ex quacunque causa annuatim praestatur alteri: sub qua ratione comprehendit etiam *Tributa Saecularibus*

Pars II.

N

laribus